



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 107. Æneæ Sylvii legatio ad Eugenium

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A.C. 1444.

§. CVII.

Æneæ Sylvii Legatio ad Eugenium.

*Æn. Sylv.
comm. lib. I.
Et epist. 98.*

Fridericus Imperator ex Conventu Norimbergensi Æneam Sylvium, quem a secretis habuit, Romam decrevit, ut Eugenii Papæ mentem ad novum Concilium pro extirpando schismate celebrandum inclinaret. Sylvius quidem deman data sibi provincia functus est: sed Eugenius noluit petitioni acquiescere, eo quod diceret, id non esse pacem Ecclesiæ procurare, sed majorem divisionem, ac seditionem concitare. Æneas Papæ gratiam eo certius aucupaturus, initio sermonis de iis, quæ in favorem Basileensis Synodi adversus Eugenium verbis, scripto, aut opere peccasset, submis se veniam petiit, qua facile obtenta paulo post ab Eugenio itidem Secretarii munere auctus est, haud tamen propterea dimisit Cæsaris servitium. Postmodum anno millesimo quadringentesimo quin quagesimo octavo sub nomine Pii II. ad summi Pontificatus apicem evectus, palam recantavit omnia, quæcunque alibi iniquiore calamo adversus Eugenium scripsisset, ac præterea a Papa ad Concilium appellandi licentiam lege sancita coercuit, quo

quo facto retractationis suæ sinceritatem plurimum commendavit.

Sæcul. XV.
A.C. 1445.

§. CVIII.

*Chaldæi & Maronitæ in obsequium
Eugenii Papæ reversi.*

Perseverabat adhuc Concilium Florentia Romam ab Eugenio translatum, in quo die septima mensis Augusti habita est Congregatio Generalis; adveniant quippe Chaldæorum atque Maronitarum Delegati, nimirum Timotheus Tharsensis Archiepiscopus, Metropolita Chaldæorum Cypri Nestorianus, & Elias Episcopus Maronitarum, Eugenio Papæ obedientiam professuri, seque Concilii judicio subjecturi. Condidit Papa decretum, in quo narrabat, quomodo post celebratam in œcumenico Concilio Florentino Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali unionem, ac Armenorum, & Jacobitarum reductionem, Andream Archiepiscopum Colossensem ad partes Orientis & Cypri Insulam destinasset, ut & Græcos ibidem degentes in suscepta fide confirmaret, & Hæreticos, quoscunque ibidem inveniret, ad veritatis semitam reduceret, præcipue vero Sectatores Nestorii, nec non Macarii, quorum prior purum hominem Christum asserbat, alter vero unicam in Filio Dei voluntatem profitebatur. Posthæc exposuit

An. 1445.

*Collect. Conc.
Labbe to. 13.
p. 1225.*